

DISSERTATIO THEOLOGICA  
DE  
FRUCTU VERBI DIVINI,  
FIDE, ET AUDITU  
PER VERBUM DEI,

*Quam,*

JEHOVA clementer annuente,  
Secundum ductum & dictum Apostoli Pauli

Rom. X. v. 17.

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Maximè Reverendè, Magnifici, Amplissimi atq̃, Excellentissimi*

DN. JOH. ANDR. QVENSTEDII,

SS. Theol. D. ejusdemq̃ve Prof. Publ. longè famigeratis-  
simi, h. t. Decani spectatissimi & Alumnorum Electora-  
lium Ephori gravissimi,

Domini Præceptoris, Patroni ac Promotoris sui, om-  
ni pietatis atq̃ve observantiæ cultu æternùm  
devererandi

In inclyta ad Albim Academiã

*Publicè placidèq̃, Eruditorum Ventilationi proponit*

RESPONDENS

JOACHIMUS PALOVIUS, Rügenvvaldâ-Pomer.

*In Auditorio Majori*

*Die III. Novembr. ANNO. M. DC. LXXIX,*

WITTENBERGÆ,

Ex Officiò CHRISTIANI SCHRÖDTERI,

DISSECTATIO THEOLOGICA  
FRUCTU IN DIVINA  
FIDE ET AUDITU  
PER VERBUM DEI

LEHOVA  
Secundum dicitur in octavo psalmo

SEPTIEM

DN JOH ANDR OVENSI EDII

SEPTIEM

Donatus

Joachim

SEPTIEM

JOACHIMUS

SEPTIEM

SEPTIEM

SEPTIEM



I. N. J.

PRÆLOQVIUM.

**S**I Regius ille Psalter David, Vir secundum Voluntatem DEI atq; Θεοπροϋσια instructus exclamat: Quis est, sicut Dominus DEUS noster, qui altissime habitat & respicit humillima in caelis & in terra? (a) Quanto potius hoc jugi suavissimâq; recordatione repetendum nobis est, perpendentibus, summam post lapsum totius generis humani miseriam, atq; summam eamq; infinitam DEI ter Optimi Maximi Misericordiam ac Φιλανθρωπίαν: quâ motus, ex supremâ Majestatis sede in infinitum immensa Gratia ac ineffabilis Bonitatis suæ oculos demisit, & promissum illud semen mulieris benedictum, caput serpentis contriturum, FILIUM nempe suum unigenitum misit, ac idonea & sufficientia media ad recuperandam æternam Salutem ordinavit. Postquam enim homines in peccatum lapsos, non sine omni spe venia cum Diabolis in horrendum Inferni barathrum detrudere, sed per Christum in gratiam recipere, & ad pristinam, ad quam creati erant, beatitudinem perducere clementissimè sapientissimèq; constituit, non ἐμῶς, sed ἐμῆς, per Verbum scilicet & Sacramenta, id efficere decrevit. Per verbum sacratissimum ejusdemq; predicationem, omnes ac singulos ad Ecclesiam convocat, convocatis Gratiam suam, in ipsius gremio repositam, offert, oblatam credentibus confert, collatam per Sacramenta, tanquam salutaria sigilla, auget & confirmat, ut homo peccator regeneretur & salvificam inde Fidem concipiat, quò omnia Fœlis nostri beneficia, cruento suò meritò nobis acquisita, sibi applicare, & per illam æternum cum DEO vivere queat. Quod ipsum etiam pluribus nos docet illuminatissimus ille Gentium

(a) Ps. CXIII, 5. 6.

*Doct̃or Paulus in Clavi Theologiae & Ὁπλοθήκη, armamentario  
 & Catechismo Christianorum, (b) ut jure meritoq̃, Epistola ad  
 Romanos audit. Ex cujus Cap. X. versiculum 17. pertractare im-  
 presentiarum animus est, utpote qui de salutari Verbi Divini Fru-  
 ctu & Auditū per Verbum DEI agit, habitū potissimum temporis  
 ratione, ubi Rex ille celestis ac Dominus Dominantium pretiosissimū  
 hoc gazophilacium, verbum scil. Divinum, per Ecclesia sua mi-  
 nistros nobis proponit, ut omnes homines salvificam inde fidem, &  
 per hanc, Gratiā DEI, remissionem peccatorum, justitiā ac o-  
 mnia bona spiritalia accipiant, ad nuptias celestes perveniant, &  
 cum Sponso suo CHRISTO in futurā gloriā aeternū regnantes  
 triumphent, n̄ modō ipsi inobedientia & contumacia obicem effi-  
 cacissimā hujus & Spiritūs S. operationi ponant, ac salutarem inde  
 provenientem fructum aspernantes abjiciant. DEUS autem, qui  
 solus potens est Spiritū suū Sanctū per prædicationem Verbi efficacis-  
 simē in omnibus non repugnantibus Fidem accendere atq̃, augere,  
 faxit, ut omnia juxta ductū Scripturæ Sacrae rectē edifferendō as-  
 seramus, præclarum illud certamen Fidei constanter decertemus, Vi-  
 tam Aeternam, ad quam vocati sumus, per hanc apprehendamus, &  
 aeternū possideamus. DEUS Benedictus in Secula!*

### TEXTUS authenticus.

*Ἐργον ἢ πίστις ἐξ ἀκοῆς. Ἡ δὲ ἀκοή διὰ ῥήματος & Θεοῦ.*  
 Versio B. Lutheri.

**S**o kompt der Glaube aus der Predigt /  
 Das Predigen aber durch das Wort Got-  
 tes.

Verf. Vulgata.

Ergo fides ex auditu: auditus autem per Verbum Christi,  
 Piscatoris & Bezae.

Ergo fides ex prædicatione est: prædicationis autem per ver-  
 bum DEI, i. e. per mandatum DEI.

Junii & Tremell.

Ergo fides ex auditu est, auditus autem per Verbum DEI.

Cujus

(b) B. D. Weller. in Annot. super hanc Epist. p. 1.

Cujus ut eò felicior sit Tractatio, neq̄ve haud ἀμεθόδως fiat, aureum hoc Dictum ad certa Membra revocabimus. Quorum Primum de verò & à Spiritu S. intentò Scopò ac ipsâ Textûs συναΦεία agit. Alterum ἀνάλυσιν proponet, & Ultimum certa Πορισμاتا tradet. Sit itaq̄ve

## MEMBRUM I.

### De Scopò & ipsâ Textûs συναΦεία.

Ultima Apostoli verba præcedentis Capituli IX. hæc sunt ἰδὲ τίθημι ἐν Σιών λίθον προσκόμματος, καὶ πετρὴν σκανδάλη. καὶ πᾶς ὁ πιστεύων ἐν αὐτῷ ἔ καταχρησθήσεται. Egerat nimirum Paulus cap. IX. de duplici Justitiâ, Fidei & Operum: & illam tandem his verbis Gentes apprehendisse, istam Judæos non consecutos esse docet. Jam ut eò uberius hanc rem explicet, in eadem materiâ Cap. X. persistens, præmissâ rursus protestatione de suâ erga Judæos benevolentiam v. 1. 2. singula clarius persequitur. Præcipuè autem differentiam Justitiæ Legis & Evangelii exponit, quarum illam impossibilem ad salutem esse ostendit, hujus verò facilitatem ex Scripturâ monstrat à v. 3. usq̄ve ad 8. Deinde commemorat effecta quædam hujus Fidei, quâ justitia ad salutem impetratur v. 9. 10. 11. Ne verò causa in DEUM transferatur, quò minus fidem hanc omnes, adeoq̄ve etiam Judæi, consequantur, idcirco ortum fidei porro exponit, unde nascatur & proveniat, quomodo DEUS promiscuè omnibus hominibus, tam Judæis, quàm Græcis fidem conferresoleat, quò ordine, quibus mediis & instrumentis, videlicet per prædicatum & auditum verbum: cui cum multi, & imprimis Judæi obedire pertinaciter recusent, mirum non esse, si pereant, servatis interim gentibus, quæ hunc DEI ordinem sequuntur v. 12. 13. Priusquam verò propinquum illud medium sive Organum monstrat, per quod fides excitatur, elegantissimâ utitur Gradatione Rhetoricâ, quâ ab unò gradu ad alterum progreditur v. 14. 15. Πᾶς ἂν ὀπιθαλέσσονται; inquit, εἰς ὃν σὸκ ὀπίσσευσαν; πῶς δὲ πιστεύσασιν, ἢ σὸκ ἤκασαν; πῶς δὲ ἀκῶσασιν, χωρὶς κηρύσσοντες; πῶς δὲ κηρύξασιν, εἰάν μὴ ὀπισσεύωσι; Et primum docet, veram invocationem fieri

feri sine fide non posse, cum neminem invocare queas, nisi aliquam in eo fiduciam exauditionis & auxilii colloques. Deinde subjicit, homines lumine naturæ vel rationis suæ non posse ad fidem Evangelii de Christo pervenire, eò quod Evangelii Doctrina de Christò sit mysterium ab omni ratione humanâ absconditum, quod hominibus non innotescit, nisi DEUS revelet in verbo suo, quod audiendum nobis proponit. Ideoq̄ve dicendo pergit, quod audire homines non possint, nisi prius Evangelium de Christo publice annuncietur & prædicetur. Verbum autem DEI sicut humanæ rationi ignotum est, sic etiam prædicari nunquam posset, nisi certi quidam Præcones illius Verbi mitterentur, à DEO cognitione illorum mysteriorum illustrati & donis ad prædicandum necessariis instructi. Quod ipsum Prophetarum Esaia cap. 52, 7. & Nahum cap. 1, 15. testimonio vaticiniòq̄ve confirmat. Tandem Συμπερασµα apponit, cujus gratia priorem gradationem posuit, monstratq̄ve immediatè Fidei originem & medium: quod cum Judæi ipsorumq̄ve similes peccatores v. 16. rejiciant, non est, ut miremur, ipsos in incredulitate perseverare, iramq̄ve DEI super illos manere. Ἄρα ἡ πίστις, inquit v. 17. ἐξ ἀκοῆς. Ἡ δὲ ἀκοὴ διὰ ῥήµατος Θεοῦ. Quæ Textus Συνάφεια, si Logicè eandem consideramus, Tria nobis proponit (1.) Fidei Naturam in voce πίστεως. (2.) Subjectum & ὄργανον Externum per Ἀκοὴν. (3.) Principium, quod est ῥήµα Θεοῦ. De quibus in Membro II. ageur.

## MEMBRUM II.

De Αναλύσει

quæ (1) Fidei Naturam exponit.

CONstitutò in Membro I. certò atq̄ve à Spiritù S. intentò Scopò, ipsa Textus Συνάφεια in hoc altero Membr. (1) Fidei Naturam atq̄; Essentiam nobis suppeditat in vocibus: Ἄρα ἡ πίστις, quas ulterius jam ex Philologicis expendamus. Est itaq̄ve Ἄρα vel concludentis, vel asseverantis, vel expletiva particula, non verò dubitativa, uti ex collatione Concordantiarum Græcarū B. Schmidii constat. Malè autem cum particulâ εἰ à Vulgatâ red-  
ditur

ditur per *si forte* in Actis Apostolicis c. 8, 22.; sed *ἀρα* voculae ei vim potius illam addere docet B. D. Glassius. (a) ut conjunctim sit idem ac ὅπως δὴ, ut sane dimittatur tibi hac cogitatio cordis tui. Quia Particulae *ὑποσημαίνουσα* in persuasionibus & exhortationibus, non sunt dubitantis, sed spem facientis animantisq; ad fiduciam consequendi optata, licet non exigua difficultas sit conjuncta, juxta Philologorum Regulam. Ordinariè autem vim concludendi habet, uti etiam h. l. & significat Ergo, Igitur. Quod è superioribus quoq; inferitur. Non enim nisi ex verbo DEI haberi potest Fides. Quod proinde audiendum est, vel legendum. (b) In Ebraeis ipsi respondet interdum *וַי*, ut, Gen. 22, 17. 1. Sam. 2, 25. Qvò significatu etiam hanc vocem Buxtorff. in Lexico exponit: uti & Vorstius & Alstedius, allegante Sixt. Amama (c). Nam hæc vocula non semper est *αιολογιακή*, sed sæpè *συλλογιακή* h. e. non notat semper causam rei, sed sæpè rationem conclusionis. Interdum quoq; exprimitur per Adverbium Temporis *כֵּן* & nunc, quod crebrò illativum est, positum pro *ergò, igitur, &c.* ut Gen. 4, 11. cap. 21, 23.

*πίστις*. Hæc à *πίστω* & *πίπτειν* descendens, in S. Literis varias significationes habet, ex quibus quatuor præcipuas annotare libet, quia reliquas, quæ dari possent, omnes ferè inclusas habent. I. Notat *Fidelitatem animiq; constantiam in servandis promissis*, ut verè id demus aut faciamus, quæ dare aut facere promissimus, quæ fides nominari potest *Activa vel Fides contractuum*, juxta B. D. Meisnerum (d). Sic DEUS dicitur *DEUS fidei* Deut. 32, 4. & *fidelis* h. e. verax 1. Cor. 10, 3. cuius *fidelitatem seu veracitatem infidelitas hominum non evacuatur* Rom. 3, 3. Sic fides dicitur *cinctorium renum Messie* Es. 11, 15. istòq; modò accipitur Jer. 7, 28. *Periit fides & ablata est ab ore eorum*. II. *Assensum & persuasionem firmam*, quæ alteri dicenti aut promittenti constanter assentimur, ideoq; secundum B. D. Meisnerum l. c. nominari potest *Fides Passiva*, quæ Relationem habet ad dicentis fidem activam seu veracitatem. Nam si verax sit promissor, mox assensus

(a) In Philol. Sac. L. III. Tract. V. (b) Vid. Magnif. Dn. D. Calov. Bibb. illustr. super h. l. (c) In Grammat. Ebr. p. 228. (d) Tom. 3. Disp. Wittenb. 7. p. 412.

assensus sequitur, ideoq; fides passiva semper in activâ fundatur h. e. *fides veracitatis est fundamentum fidei credulitatis*, ut loquitur Flacius (a). Hec significatio passim occurrit in Scripturis ut Exod. 14. 31. *crediderunt Jehovæ & Mosi servo ejus.* Conf. Joh. 5. 46. Jac. 2. 19. III. *Objectum* quandoqve notat, cui assentimur seu ipsam *Doctrinam celestem*, divinitus revelatam, ut, Gal. 1. 23. *qui persequebatur nos, nunc evangelizat fidem, quam olim vastabat.* Gal. 6. 10. *simus beneficii erga omnes, maximè autem erga domesticos fidei* i. e. qui eandem nobiscum Doctrinam & Religionem profitentur. Sic vulgò dicitur Fides Christiana, Fides Apostolica, Catholica, &c. IV. Fidei vocabulum in primis denotat *Fiduciam aut Confidentiam*, ubi sic alicui assentimur, ut simul nos totos ipsi concedamus, & omnibus cogitationibus in eum confidamus. Diciturqve aliàs *justificans & salvifica*, quæ nihil aliud est, quàm fiducialis apprehensio promissionis Gratia Divinæ in verbo prædicato nobis propositæ & in Christi meritò fundatæ. De hâc fide, quæ simul *miraculosè* contradistingvitur, observandum est, quod *duplîciter* considerari soleat (1) *formaliter*, quatenus justificat. (2) *materialiter*, ratione omnium actuum, qui in fide justificante concurrunt, licet non omnesificent. *Priori respectu* tantum est fiducia seu fiducialis meriti Christi apprehensio, ideoq; hoc sensu diversas partes non agnoscit, cum fides nulla ratione aliâ justificet, quàm prout apprehendit meritum Christi, id quod est fiducia. *Posteriori respectu* certas partes sive potius actus habet, quorum tres numerantur atq; in contextu nostro ab Apostolo indigitantur. (A) *Notitia*, quæ in voce *πιστις* continetur. Etenim hæc vox, uti à *πιστις* (quod initio hujus vocabuli jam annotavimus) deducitur, ideoq; & *πιστις* ipsa est certa persuasio, & per consequens Notitia. De obscuris e nim & non intellectis persuaderi haud possumus. Quod etiam constat è cæci nati & à Christo curati exemplo, qui ita ab ipso Christo interrogabatur Joh. 9. 35. : *Credisne in Filium Dei?* Respondit ille dicens v. 36. *Quis est, Domine, ut credam in eum?* Ubi cæcus ille noluit credere in *incognitum* DEi Filium. Quare Christus eum erudit v. 37. 38. *Et vidisti eum, & is est, qui loquitur tecum.* Cognitò ergò Christò, dixit ille: *Credo Domine.* Ex illustri hoc exemplo patet,

(a) in *Clav. Part. 1. in voce Fides.*

patet, quod fides feratur in *Christum cognitum*. Licet autem hic homo Christum *oculariter* viderit, notandum tamen est Christi dictum Joh. 20, 29. *Quia vidisti me, Thomas, credidisti; beati, qui non viderunt & crediderunt.* Conf. Joh. 17, 3. *Αὐτὴ δὲ ἐστὶν ἡ αἰώνιος* &c. it. v. 8. 2. Petr. 2, 21. 1. Joh. 2, 3, 4. cap. 4. 16. &c. Hæc itaq; cognitione, ex Verbo Divino haustâ, de DEo quædam credimus & per eam scimus ea, quæ tum ad DEi, tum ad nostri notitiam spectant, ut quod DEus sit sapiens, verax &c. quod miserit in plenitudine temporis Filium Redemptorem mundi &c. Idem etiam probatur ex oppositis Fidei, quæ dicuntur esse ignorantia, tenebræ, cæcitas, *ἀπιστία* &c. (B.) Notitiam excipit *Assensus* Divino Verbo præbitus Quem iterum Paulus ostendit in verbis: *Fides est ex auditu.* Quod si jam assensum tollas Divino Verbo, per auditum percepto, præbitum, statim sustuleris fidem. Quod ab exemplis liquet. Joh. 6, 41. *Judæi murmurunt de illo, quod dixerat Christus: Ego sum Panis, qui de Cælo descendit & v. 52. inter se decertarunt dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare, quem edamus?* Quod si autem verbis Christi assensi fuissent, non murmurassent, nec certassent. Sicut igitur hæc murmuratio & decertatio arguit defectum assensus, ita & ostendit defectum fidei. Ergo ad fidem pertinet assensus. Sic cum eod. cap. 6, Joh. v. 60. Multi ex Discipulis Christi, auditis ejus verbis dixissent: *Durus est hic sermo: quis potest eum audire?* Dixit tandem Christus v. 64. *Sunt quidem ex vobis, qui non credunt.* Unde sequitur, quod *non assentiri* DEo loquenti sit *non credere*, & *credere* sit *assentiri*. Unde Petrus, postquam discipulos interrogasset Christus: Num & ipsi abire vellent? nomine etiam reliquorum discipulorum dixit: Joh. 6, v. 68. 69. *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes: & nos credidimus & scimus te esse Christum illum Filium DEi viventis.* Ubi cum Apostoli verba Christi approbassent, ideò & dicuntur credidisse, & rectè concluditur, quod approbatio & assensio pertineant ad fidem. Hæc enim credimus DEo, ejusq; verbo, tanquam veritati primæ & infallibili. Secundus hic fidei actus strictior est primò, quoniam fidei veræ notitiam habere possunt etiam Hæretici, nec tamen illi præbent assensum. Ob hanc partem dicitur fides *ἐλεγχῶ μὴ βλεπομένων.* Ebr. XI. 1. argumentum seu certa

persuasio de rebus etiam nondum apparentibus. (C) Assensui de-  
 niq; succedit *Fiducia* in Vocabulo *πιστις* contenta, quod ratione  
 Erymi sui idem est, ac firma animi & cordis persuasio, inde & *πί-  
 στος*, firma fiducia dicitur Eph. 2, 12. Atq; hæc semper Obje-  
 ctum suum adæquatum respicit. Quia *fides est ex auditu: auditus  
 autem per Verbum DEI*. Hic Relata sunt Verbum & Fides. Ver-  
 bum prædicatur ob fidem: nec extra DEI verbum locum habet Fi-  
 des ordinariè, uti docet Magnif. Dn. D. Calovius (b). *Quateer-  
 go est auditum verbum, tale etiam necesse est esse fidem*, prout elegan-  
 tissimè hunc locum Flacius explicat (c). *Effectus plerumq; sua causæ  
 naturam indolemq; respicit, sicut filia matris. Qualis certè est Doctri-  
 na: talem etiam oportet esse Notitiam inde ortam. Quid enim aliud est  
 Notitia, quàm illa ipsa externa Doctrina. per oculos & aures cogita-  
 tionemq; in animum recepta, & in promptuario memoria recondita:  
 quæ eadem ratione, sicut in nos recepta est, vicissim in alium porro  
 effundi potest docendo: Sed Verbum Evangelii est non tantum  
 simplex narratio rei gestæ, aut speculativa tantum & otiosa quedam  
 Doctrina: verum etiam practica, adhortativa, consolatoria, animans  
 ac offerrens ingentia bona & ad ea accipienda blandissimè & studi-  
 osissimè (ut matres dulcissimos liberos solent) invitans. Igitur &  
 fidem, per eam divinitus in pectore nostro erga DEum excitatam, o-  
 portet esse non tantum speculativam Notitiam; sed etiam ardens  
 desiderium ac fiduciam oblatis favoris, & divinorum beneficiorum.  
 Jam verò quid aliud est fides, quàm ipsum Evangelium menti nostræ  
 inscriptum, seu illa Notitia ex charta ac voce Apostolorum ac Evan-  
 gelistarum, vel potius ex ipsa DEI mente in nos transfusa, nobisq; per  
 Spiritum S. potenter inscripta, ac veluti lux & flammula quedam vi-  
 va, in corde nostro accensa? Sicut enim typus aut forma & imago in  
 eo typo fusa ac formata necessariò figuris ac lineamentis prorsus con-  
 veniunt: Sic & nostræ fides cum verbo Evangelii necessariò convenit,  
 ipsi conformata & quasi configurata est. Nam ea Doctrina aut in-  
 stitutio hunc effectum motum & habitum cordis nostri concipit, gi-  
 gnit, format ac figurat eiq; veluti sigillum quoddam imprimit, & c.  
 Hinc necessariò fides nostra fiducia sit oportet, ut tali solo motu  
 aut actu animi nostri, ceu quâdam mendicâ manu apprehendatur  
 gratia*

(b) in Bibl. illust. super h. l. (c) in Clav. Part. I. in voce Fides.

gratia ac favor DEI, ejusdemque suavissima in Verbo promissiones  
 de peccatorum remissione, regeneratione, justitiâ ac salute æternâ  
 per Christi passionem & mortem acquisitâ. Hâc solâ fide sive fidu-  
 ciali apprehensione lautissimum in Sponso nostro Christo nobis ap-  
 paratû oblatumque; convivium omnesque; pretiosissimas opes ac deli-  
 cias tanquam esurientes, sitientes, famelici & extremè ægroti impe-  
 tramus nobisque; applicamus, ut semper filiali corde & cum summâ  
 παρρησία dicere queamus ex 2. Tim. 1, 12. Scio, cui crediderim  
 & certus sum, &c. Idem Paulus confirmat nec sine singulari em-  
 phasi dicit Ebr. 3, 14. Μέτοχοι γὰρ γηρόναμεν τῆ χειρῶ, εἰ πῶς  
 τὴν δεξιὴν τῆς ὑποστάσεως μέχρι τέλους βεβαίαν κατέχωμεν.  
 Eandem sententiam in eod. cap. v. 6. paululû mutatis verbis re-  
 petit dicens: Οὐκ ἔσμεν ἡμεῖς χριστῶ, εἰ πῶς τὴν παρρησίαν  
 ἢ τὸ κτύχημα τῆς ἐλπίδος μέχρι τέλους βεβαίαν κατέχωμεν.  
 Quibus Apostolus diligenter monet ac inflammat pios, ut in partâ  
 justitiâ ac vita, ipsoque Christo, per fidem ceu immotum funda-  
 mentum maneant, nec inde ullò modò sese deturbari patiantur:  
 Docet simul, in quò tanta felicitas consistat, aut unde illa depen-  
 deat: quò monstratò eò, quasi vinculo aut ansâ, vel medio apprehen-  
 dendæ & retinendæ tantæ felicitatis firmitus ac tenacius ei in-  
 harere ac in verâ pietate persistere queant. Ideoque etiam fidem,  
 quam v. 14. ὑπέσταν vocat, in alterâ descriptione explicat per  
 παρρησίαν i. e. fiduciam accedendi & alloquendi alterum, & per  
 τὸ κτύχημα τῆς ἐλπίδος s. gloriationem spei, h. e. de quâ plu-  
 rimû gloriamur ac triumphamus. Aliàs dicitur thorax fidei  
 1. Tim. 6, 12. Fides electorum DEI Tit. 1, 1. Scutum fidei, quò extin-  
 guere debemus omnia ignita Satanae jacula, Eph. 6, 16. &c. Ebrai u-  
 tuntur vocabulo מַחֲמַת אֱמוּנָה vel מַחֲמַת אֱמוּנָה ab אֱמוּנָה nutritiv, &c. in  
 Hiphil אֱמוּנָה credidit. Hinc אֱמוּנָה fidus, fidelis Dan. 2, 45. inde  
 in Niphal אֱמוּנָה quod est firmum, fidum, stabile, constans esse.

(2) Fidei Subjectum & ὄργανον externum.

Subjectum fidei sunt omnes creaturæ rationales, quæ auditû  
 gaudent; non verò irracionales, uti *Franciscus* quondam deliravit,  
 de quò in libro Conformitatum refertur, quod *avibus, piscibus & aliis*  
*animalibus* prædicarit (a). Licet enim & istæ auribus & auditû pol-

(a) Vid. B. D. Gerhard, Harmon. Evangel. super h. l. cap. CCXVI.

leant & Marc. 16, 15. omni creaturæ prædicandum esse Evangelium dicatur, quò etiam loco Hæreticus iste abutitur, non tamen fidei, ceu animantia brutâ capacia sunt, neq; verbum, ex quò fides accenditur, ipsis prædicandum destinatum est, ideo què etiam ipse Christi sententia à Matthæo vindicatur ab ejusmodi corruptelis, dicente cap. 28, 19. *Docete omnes gentes.* Quibus verbis satis clarè indicat, Salvatorem nostrum non irrationalem, sed rationalem Creaturam dicto loco intelligere. Deinde quoquè Paulus auditum ita considerat, prout est *ὄρανον* Externum ex divinâ *ἐυδοκία*, & beneplacito ordinatum, per quòd nobis ipsum divinum verbum applicatur & ad eum transmittitur per aures, ut homo inde illuminetur, & in eò fides accendatur. Itaque

*ἄκοη* ab *ἀκούω* proveniens, Ebræis dicitur *שמע* à *שמעו*. In Sacro Codice sumitur (1.) pro *famâ*, ut Obad. v. 1. Hab. 3, 2. (2.) pro *cælesti Doctrinâ sive scriptâ, sive lectâ, sive prædicatâ, sive auribus perceptâ in genere*, quatenus Legem & Evangelium comprehendit, ut Es. 28, 9. (3.) *in specie*, pro Doctrinâ Evangelicâ, ut Es. 53. 1. Rom. 10, 16. Quò sensu etiam hoc loco accipitur & auditionem & prædicationem complectitur. Nam ad fidem gignendam prædicatio sine auditione nihil prodest, & hæc sine illâ tanquam fundamentò Relationis esse non potest, docente Paulò v. 14. Hinc à B. Luthero rectè per prædicationem vertitur, quia prædicatio auribus percipitur, quòd etiam ex Es. 53, 1. collatò cum Rom. 10, 16. & Gal. 3, 2. constat. Distinguitur aliàs à Theologis in auditum *externum*, quatenus est naturalis sensio & actio humana. Quot enim sunt homines qui physicè audiunt, & tamen sunt fidei salvantis expertes? & *externum Evangelii DEL*, qui est hominum renatorum; & *internum*, non quem Schvenckfeldiani intelligunt, quemquè *ἐνδοσιαστικῶς & ἀμέσως* per instinctus, insurrectiones, visiones, apparitionesquè Spiritum S. operari falsò existimant, sed qui est ipse cordis sive mentis, quem DEUS ex merâ suâ gratiâ virtute verbi & Spiritûs Sancti in cordibus nostris accendit. Nos utrumquè hic jungimus, quia ex illò Fides tanquam fructus *ἀκοῆς* oritur. Aliàs Respectu hominum audientium varius est auditus, sicut Parabola de Semine, variè cadente, ostendit Matth. 13. & Luc. 8. nequè est hujus loci.

(3.) Prin-

### (3.) Principium.

Ultimò loco Principium considerandum venit, ex quò scilicet Fides promanet. Atque hoc est ῥῆμα Θεῶν.

ῥῆμα sapius per λόγον expressum, ut 1. Thessal. 2, 13. secundum usum Scripturæ Sacræ accipitur (1.) pro sententiâ, doctrinâ, sensû ac conceptû vel cogitatione; alteri vel ore vel scripto indicatâ; sive ea DEi sit, sive hominum, atq; ita & προφορικόν sive γεγραμμένον & ἐκδιὰθεθον dici potest vid. 1. Thessal. 2, 13. (2.) verbum ὑποστατικόν significat Joh. 1, 14. &c. (5.) Divinam quendam potentiam aut efficaciam denotare videtur, ut Ebr. 1, 3. Ubi Christus dicitur Φέρον τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ. Conf. Ps. 33, 9. &c. (4.) idem est ac Doctrina celestis, tum legalis, tum Evangelica, quam DEus per se, Prophetas, Filium & Apostolos suos ad genus humanum locutus est, ut Ps. 119, 105. Esa. 40, 7. In nostro autem Contextu sumitur pro Doctrinâ Evangelii, ex quò (solò) fides ordinariè est. Nam verbum legis iram operatur, omnesq; homines condennat, utpote qui perfectissimam legi obedientiam præstare nequeunt, ideoq; opus habent, ut sufficientissimam Christi obedientiam, nostrî loco præstitam, ex verbo Evangelii cognoscant atq; verâ fide, quam gignit Evangelium, apprehendant. Hinc notanter dicit Paulus Ἀκοὴ Ἀπὸ ῥήματος Θεῶν. Nam neq; prædicatio, neq; auditio, ut sic, quatenus est actus noster ex facultate naturali progignit fidem 1. Cor. 3, 7. sed Evangelium sive verbum prædicatum & auditum illuminat mentem & fidem accendit. Omnis ergo virtus, vis & ἐνεργεια est DEI ceu Auctoris, & Verbi Divini tanquam medii: Auditus est medium externum, ex ordinatione DEI (ut jam supra dictum) recipiendi verbum prædicatum & transmittendi ad cor, ut fiat applicatio interna. Quamobrem Præpositio Ἀπὸ per, indigitat originalem fontem, unde Divina efficacia & ἐνεργεια prædicationi & auditioni accedit, nempe ex verbo Divino, non humano: nec ex Philosophiâ, nec ex notitiis naturalibus, nec ex Traditionibus Papalibus &c. Quomodum itaq; lavacrum aquæ, Baptismus, nos mundat, non quatenus est mera aqua, sed quatenus est lavacrum aquæ in verbo DEI Eph. 5, 26; ita quoque ex auditu oritur fides salvifica, non quatenus est actio physica & sensio naturalis, vel quatenus occupatur circa ob-

jecta audibilia naturalia, philosophica, sed quatenus est *auditus verbi Divini Evangelici, & quatenus in Divinâ Benedictione, ordinatione & ἀνζήσεις gratioſa* attenditur. Malè autem exponunt Beza & Piscator Verba: *Δεῖ ῥήματος Θεῆ per mandatum DEI*, ut sensus sit: *Prædicatio est ex mandato DEI*. Etsi enim verbum DEI generalliter sumptum & quatenus Legem & Evangelium notat, & mandatum sapius sint Synonyma ut Psal. 119, 4, 40. &c.; attamen illorum explicatio hoc loco prorsus aliena est & *ex Objecto Correlativo facit causam jubentem*. Deinde certum quidem est, ex mandato DEI prædicandum esse Verbum Divinum, quia verò id Paulus ante docuerat 1. 15. *Quomodo prædicabunt, nisi missi fuerint?* Verba hæc non repetit, sed potius illa: *quomodo credent in eum, de quo non audierunt?* ideò quando porrò ait; *Ἀκούε Δεῖ ῥήματος Θεῆ*; intelligit Divinum verbum prædicatum, verbum fidei, seu Objectum adæquatam, ad quod vera salvificans fides inseparabilem habet *ῥῆσιν* & respectum, & quò demptò, perit & ipsa.

### MEMBRUM III. Porismaticum.

#### Porisma I.

*Verbum DEI prædicatum & auditum est ex ipsius DEI ordinatione efficax Conversionis, fidei justificantis & salutis conferendæ medium.*

**O**mnis Fanaticorum turba, qui Avorum & Patrum nostrorum memoriâ ex orcò prodiit, ducibus & antesignanis, *Svenckfeldio* in Silesiâ, *Panacelso* in Helvetiâ, *Entbusastis & Anabaptistis*, in Belgio, *Weigelio* in Misniâ, *Osiandro, Fabiano Tekelio, Gnaphæo, Rathmanno & Movio* in Borussiâ & Lithuaniâ, *Tremulantibus* in Angliâ, cum *Novis & Cælestibus Prophetis*, item *Photinianis, Arminianis, Calvinianis*, & quibusdam *Pontificijs Verbi Divini, S. Scripturâ contenti*, vim & efficaciam realem intrinsecam ad spirituales effectus producendos, conjunctis castris oppugnat & labefactat, eiq; non nisi *objectivam, representativam seu significativam vim* relinquunt. *Svenckfeldius Verbum DEI scriptum* literam inefficacem ac mortuam, & *prædicatum* inanem strepitum & sonum evanescentem.

tem esse clamitat, atq; omni internâ vi atq; virtute spoliât, nihilq; operari dicit, nisi objectivè instar imaginis (a). *Theophrasti Pam- celsi* in Philosophiâ mysticâ hæc sunt emblemata: *Nihil externum* (i- ta semper appellant Verbum DEI scriptum & prædicatum) *conferet salutem, quocung, veniat nomine: Litera Scripturae, seu Verbum ex- terius nullius est operationis: DEI Verbum* (scil. secundum Eos, in- ternum) *Christus & regnum ejus nullâ operatione ab extra infun- duntur &c.* *Enthusiasta & Anabaptista* non agnoscunt verbum scri- ptum & prædicatum esse *Regenerationis semen, sed alius quoddam* (supra Verbum scriptum) *Spiritus & Christi intus loquentis Magi- sterium perfectionis spiritualis*, quàm non præscribat *litera* (b). *Weigelius* verbum DEI scriptum & prædicatum omni divinâ effi- cacitate privat, eiq;ve non nisi objectivam operationem tribuit, quod monstrat, signet, significet (c). *Andreas Osiander* im treu- en Mürrenb. rgischen Katheschlag Anno 1553. Regiomonti Borussor- um divulgatâ, contendit, verbum quod legitur & prædicatur, quod externum vocat, esse verbum tantum humanum; quod Chri- stum ceu internum verbum monstrat ac manifestet. In crustarum quoq;ve *Svenckfeldianum* Fanatismum in Prussia & Lithuanîâ *Fa- bianus Tekel, Guiliel. Gnaphæus, Hermannus Rathmannus* Mini- ster Dantiscanus, & *Casparus Modius* Minister Caunensis in Li- thuanîâ, externum Verbum non verè esse DEI verbum, sed tan- tum effigiem ejusdem ac signum, atq;ve extrinsecè & objectivè tantum monstrare viam ad æternam vitam, statuentes. *Novi Pro- pheta* scripto DEI Verbo omnem Divinam efficaciam & operatio- nem derogant, illisque S. Scriptura nihil aliud est, quàm ein schrift- licher vergänglichlicher Buchstabe / ein papiernes Wort / ic. (d). *Tre- mulantium factio* in Angliâ & alibi locorum itidem DEI verbum, suâ

(a) *Vid. Ejus Tom. 3. Epist. n. XI. Tom. 1. Oper. pag. 319. Tom. II. p. 779. Tom. III. p. 231. 404.* (b) *Vide Spanhemium in Colleg. Anti-Anabaptistico Disp. I. th. 30. Cloppenburgium in Gan- grenâ Anabapt. Disp. V. p. 130. Edition. in 40.* (c) *Im gülden Griff cap. 10. part. II. Postil. p. 159. 225. 226. 303. & alibi passim.* (d) *Vide Ausführlichen Bericht von der neuen Propheten Religion / Lehr und Glauben. Rev. Minister. Lubec. Hamb. & Lüneb. in des dritten Motiv num. 165. 166. & 167.*

ſi uã internã vi & virtute fanaticè ſpoliant (e). *Phoriniani* etiam nullam aliam verbo ſcripto & prædicato, niſi obiectivè ſignificandi efficaciam tribuunt, ut *Moscorovius*, (f) *Oſtorodus*, (g) *Catechiſmus Racov.* (h) *Volckelius* (i). Participant quoq̃ve de hoc pernicioſo errore *Arminiani*, videatur *B. Hülſemanus* (k). *Calviniani* præterea pleriq̃ve in *Svenckfeldii* caſtra abeunt, dum verbo DEI prædicato omnem ferè vim ſpiritualem & intrinſecam, in hominibus convertendis, renovandis, ſalvandis, &c. derogant, illiq̃; ultra ſignificationis uſum nihil quicquam tribuunt. Vid. *Jacobus Grynæus* (l), *Calvynus* (m), *Joh. Oecolampadius* (n), *Zwinglius* (o), *Beza* (p). Quidam denique *Pontificij* in ſignificando & repræſentando efficaciam verbi Divini tantum ponunt, ut *Bellarminus* (q), *Toletus* (r), *Toſſatus* (s) aliiq̃ve. Aſſinitur noſtra ſententia firmiſſimis Scripturæ S. testimoniis. Docemurq̃ve in primis in noſtro dicto *Paulino*, verbum DEI prædicatum & auditum eſſe ordinarium ac efficax fidei accendendæ & augendæ medium. *Fides*, inquit *S. Paulus*, eſt ex auditu, auditus autem per Verbum DEI i. e. DEus per Verbum ſuum prædicatum & auditum fidem in Cordibus hominum operatur. Fides itaq̃ve non eſt noſtrarum virium, ſed in ſolidum Verbo DEI adſcribitur. Quò pertinent etiam Verba *Chriſti Joh. XVII. 20: Non pro eis (Apoſtoliſ) rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per Verbum eorum in me.* Ubi ſalutaris & ſupernaturalis effectus, nempe *Fides in Chriſtum*, Verbo ab Apoſtoliſ prædicato, ceu efficaci converſionis medio, per partic. *Alſ;* inſinuato, tribuitur. *S. Paulus* inquit *Rom. I. 16: Non erubefco*

(e) *In Stein/ den die Bauleute verworffen haben* / p. 3. *In dem Wege zum Königreiche* p. 5. & 7. *in der Standarte.* cap. 13. (f) *In Catechiſmo* cap. 6. *de Baptiſmo.* (g) *Inſtit. German.* cap. 34. (h) cap. IX. p. 267. (i) *de Relig.* c. 18. p. 546. (k) *Diſput. III. de Auxiliis Gratiæ quaſt. I. num. III. §. 3.* (l) *part. I. Theorem. Theolog in præfat.* (m) *Inſtit. lib. IV. cap. 14. §. 17.* (n) *in ſcripto quodam anno 1525. edito.* (o) *part. II. Oper. in Exegeſ. Euchariſt. negat. p. 347.* (p) *Part. II. Reſponſ. ad Acta Colloq. Mompelgart. p. 115 & 117. &c.* (q) *lib. I. de Grat. & Lib. arbit. cap. XIII. & Libr. IV. c. XV.* (r) *in cap. VI. Job. annot. 23.* (s) *quaſt. 25. in cap. 21. Matth.*

*rubefco Evangelium Christi, ὁὐραμὸς γὰρ Θεοῦ ἐστὶ, virtus enim DEI est ad salutem omni credenti h. e. potentissimum & efficacissimum medium propagandæ fidei & salutis. 1. Theff. II. 13. Gratiar agimus DEO sine intermissione, quoniam suscipientes verbum auditus à vobis accepistis, non ut verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum DEI, qui operatur in vobis, qui credidistis. Ubi inter alia describitur verbum DEI ab effectu. Nam Relativum ὁ, non ad DEUM, sed λόγῳ seu sermonem referendum esse, ostendit tum Scopus Apostoli. Commendare quim volebat sermonem Evangelii à se prædicatum, à Divinâ, quam spiraret, vi & efficacia, tum addita particula ὅτι, ὁ ὅτι ἐνεργεῖται, qui & operatur in vobis, q. d. non tantum prædicavi vobis Verbum DEI, sed & ita prædicavi, ut illud operetur in vobis fidem, ut exponit B. D. Balduinus (t). Ἐνεργεῖται, inquit Gentium Doctor, operatur in credentibus, scil. mentem illuminat, cor purificat, in voluntate veram fiduciam gignit, charitatem, spem, patientiam in adversis excitat. Rectè ilacius (u.) Summa, inquit, est efficacia Verbi DEI, (DEUS enim per id agit,) sive Legis ad mortificandum & instar mallei conterendum peccatorem, sive Evangelii, ad vivificandum eum, cum sit potentia DEI omni credenti. Est itaqve hoc solidum argumentum contra Svenckfeldianum Fanatismum, quod scil. externa prædicatio à Paulo facta sit verè Verbum DEI & efficacissimum Medium ad generandam fidem, conversionem & salutem. Placuit enim DEO per stultitiam prædicationis (h. e. per Verbum à Prophetis & Apostolis prædicatum, quod stultum vel stultitia infidelibus apparet, ut dicitur 1. Cor. II. 14. cum revera maxima sit sapientia) salvos facere credentes 1. Cor. I. 21. Confer. Ebr. IV. 12. 1. Petr. I. 23. & Jac. 1. 21. Extendit autem se illa Verbi Divini vis & efficacia ad omnes in universum homines, estqve Evangelium per naturam suam salutare medium omnibus audituris, licet actu in salutem vergat solis credentibus. Bene B. D. Hülsemannus (x.) Verbum relatum, inquit, scriptum, lectum, prædicatum ex insitâ & innatâ vi divinâ habet intrinsecam facultatem, eamqve ad omnes homines indifferentem convertendâ corda. Non minùs Pauli prædicatio respectu impiorum & repro-*

C

borum

(t) Comment. in h. l. (u) in Expositione hujus loc. p. 10. 11.

(x.) in Breviar cap. 1. de Princip. Fidei Christi. th. IIX.

borum erat *εν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως* 1. Cor. II, 4. qvā cum piis & electis prædicabatur, licet vim suam salutarem actu secundo in impiis & reprobis exerere non posset propter eorum malitiam & contumaciam. Non desinit enim Verbum DEI esse efficax Medium conversionis, licet illi actu non convertantur. Cum omne DEI Verbum eandem potentiam, vim & efficaciam actu primo in se habeat, sive pio sive impio, sive electo sive reprobato offeratur, quamvis eam actu secundo non possit exerere, vel potius effectum suum non assequi, ideò quod impeditus per impium, *consilium DEI spernentem* Luc. 7, 30. *Verbum DEI repellentem* Act. 7, 39. & cap. 13, 46. & *Spiritui S. resistentem* Act. 7, 51. Hinc Formula Concordiæ Artic. II. p. 670. *Ex promissione certò statuendum est, quod verbum sit organon Spiritus S. per quod in cordibus nostris verè efficax esse velit.* Undè facilè patet, quid respondendum Adversariis, quando objiciunt: *Si per externum Verbi prædicati auditum fides datur, ac homo convertitur E. omnes verbi auditores convertuntur ac fide donantur, quod tamen falsum.* Licet enim externus Verbi Divini auditus ad Conversionem requiratur, nec absq; eo homo adultus ordinariè convertatur ac fidem concipiat non tamen sufficit qualiscunq; verbi auditus, sed requiritur insuper auditus interior h. e. ut semen Verbi Divini suscipiatur in corde bono, si fructificari debet. Matth. 13, 23.

## II.

*Causa vera atq; adæquata, cur, dum plurimis Verbum DEI prædicatur, paucissimi tamen convertantur ac salventur, non est absolutum reprobationis decretum, sive, quod DEUS ex absoluto quodam odio plurimis hominibus nolit dare fidem veram, eosq; convertere, sed hominum repugnantia, & contumacia.*

**D**amnabilis Calvinianorum error est, quem etiam in Dordracenā Synodo repetere non erubuerunt: DEUM absolutè & præcisè nolle omnibus Verbisui auditoribus fidem salvificam dare. *Piscator (a)* in *πρῶτῳ* fatetur, se sentire, quod DEUS reprobos ab æterno, quum illi neq; noxii, neq; innoxii essent, ad *ἀπιστίαν* seu incredulitatem prædestinàrit, nempe absolutè & simpliciter, uti se multis

(a) part. 1. Respons. ad amicam Collat. Vorstii p. 1.

multis declarat. *D. Job. Crocius (b)* multis probare conatur, quod DEUS ex absoluto suo decreto & beneplacito, non omnibus hominibus, sed solis electis fidem salvificam donare velit. Nam (c) in tertia conclusione inquit: *Cur DEUS his potius, quam illis, non velit fidei salvificam gratiam conferre, cur hos potius velit inducere, quam istos, v.g. Cur Pharaonem potius, quam Davidem, cur Judam potius, quam Petrum: Causa est merum DEI beneplacitum. Hic causam aliam Scriptura nusquam exprimit.* Verum enim vero constanter juxta Scripturam S. ductum asserimus, DEUM serio velle & precipere, ut omnes homines resipiscant, & in Christum Redemptorem suum credant. Ipsumque gratiose etiam velle illis omnibus fidem salvificam per Divina media dare & præbere Act. XVII, 30, 31. *Vult namque omnes salvari & ad agnitionem veritatis (quæ est fides Esa. LII, 11, Luc. I. 77) pervenire* 1. Tim. II, 4. Christus ad omnes suos auditores, qui tamen non omnes erant ad vitam electi, dixit Marc. I. 15. *Resipiscite & credite Evangelio.* Petrus 2. Epist. III, 9, inquit, *DEUS non vult ullos perire, sed omnes ad poenitentiam  $\chi\omega\eta\sigma\alpha\iota$  tendere.* Et Johannes ait 1. Epist. III, 23. *Hoc est ejus præceptum, ut credamus nomini Filii ejus JESU Christi.* Regerunt quidem Adversarii, DEUM quidem jubere, ut vocati omnes in Christum credant, non tamen serio velle, ut illi omnes credant. Sed illa inter divinam jussionem & divinam volitionem oppositio Sacris Literis aperte repugnat. Nam DEUS secundum infinitam suam misericordiam non in solis electis, sed in omnibus hominibus per Verbum & Sacramenta, ab ipsis contumaciter non rejecta aut neglecta vult accendere fidem justificantem. Si enim vult omnes homines salvari & ad agnitionem veritatis pervenire 1. Tim. II. 4. Ergo vult omnibus hominibus Divinum Verbum & Sacramenta obstinate non sperentibus, fidem salvificam dare. Quia enim serio vult omnium hominum salutem, ideo etiam serio vult omnium hominum fidem salvantem. Cur vero non omnes, qui Verbum DEI prædicatum audiunt, inde fidem concipiunt & à peccatis ad DEUM convertuntur? Ejus rei vera causa est non absolutum aliquod DEI adversus plerosque vel aliquos homines odium, quippe qui sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret Joh. III,

16. sed unicè homo ipse, qui aut non habet ( suâ propriâ aut Majorum culpâ ) exercitium Verbi Divini & Sacramentorum, aut habitum spernit, negligit, aliisve modis *nostris* *nostris* ejus impedit. Hinc conqueritur Esaias cap. LIII, 1. de hominum & cumprimis Judæorum malitiâ & perversitate, quâ nolint prædicationi Verbi Divini credere, inqvions: *Quis credidit auditui nostro* ( Chald. Paraphr. annunciationi nostrâ )? Quæ verba Apostolus Paulus immediatè textui nostro præponit. Quando itaque homines ex auditu Verbi Divini fidem salvificam non concipiunt, id non provenit ex Evangelii prædicati culpâ, aut absolutâ aliquâ DEI Voluntate, sed ex hominum audientium malitiâ & contumaciâ, sive ex repugnantia actuali malitiosâ, quâ operationem Verbi seu Spiritus S. per Verbum impediunt, ipsique obicem objiciunt, ut liquet ex Joh. XII, 37, seq. Luc. VII, 30. Act. VII, 51. cap. XII, 46. Rom. X, 16. Quando ergo quæritur, cur Petrus fide donatus fuerit, non verò Judas, Calviniani causam quærent in absolutò quodam reprobationis decreto. Existimant enim Judam non potuisse fidem in corde concipere & remissionem peccati impetrare, quia æterno & absoluto DEI odio à salute fuerit exclusus & infernalibus flammis destinatus. Sed tales Disputationes eò tandem abducunt, quò pervenit Judas, ad laqueum scil. desperationis. Vera igitur Causa exitii & interitus Judæ in ipso quærenda est, Osee XIII, 9. Non enim passus est se ab horrendi illius peccati proditi-  
onis propositò ullis admonitionibus dimoveri. Petrus verò per Galli Cantum & Christi intuitum passus est se admoneri de peccato suo, ut pluribus docet B. D. Gerhardus (d).

### III.

*Extra Verbum DEI scriptum & prædicatum hodiè non est aliud Verbum expectandum.*

Nullum aliud DEI Verbum, nulla alia Divina Revelitio de rebus, fidem concernentibus, sive ad Ecc'esiæ informationem ordinata, post excessum Apostolorum in Ecclesiâ superest, quàm quæ Canonicâ Scripturâ comprehenditur. Rejicimus ergò 1. *Verbum* *ἀγχαθον* seu *Traditiones non scriptas*, quas Pontificii tanquam vel *oreticus à Christo vel à Spiritu Sancto Apostolis dictatas & continuâ*

*succes-*

(d) *Harmon. Evangel. cap. CXC.*

*successione in Ecclesiâ Catholicâ conservatas pro Verbo DEI obtu-*  
*dunt & par pietatis affectu & reverentiâ cum ipsâ Scripturâ susci-*  
*piendas effrcontendunt atq; supplementi loco Sacris Bibliis tanquã*  
*παρὰ τὴν ἀρχαίαν* affluunt (a). Rejicimus & repudiamus II. *Verbum in-*  
*ternum* Svenckfeldianum, Anabaptisticum, & Wigelianum, id est  
*ἐν ἑαυτοῖς παρὸς*, singulares de rebus fidei manifestationes divinas  
 immediatas, Visiones, apparitiones, Angelorum alloquia, Prophe-  
 tias &c. *Svenckfeldius*, Fanaticorum Patriarcha illud magno studio  
 egit, ut Verbum DEI scriptum & prædicatum, ordinarium fidei  
 accendendæ & salutis nostræ procurandæ medium prorsus eriperet  
 ex animis hominum & ab illo averfos ad suas speculationes, & *ἐν-*  
*δεσποτικῶς*, sub prætextu *revelationis interni Spiritûs* converteret.  
*Weigelius* quoq; & *Anabaptista*, cum *navis caelestibus Prophetis* &  
*Johanne Wernero* alijsq; Fanaticis, rejecto vel neglecto Verbo DEI  
 scripto, internum non-scriptum jactitant illudq; modò *DEUM*  
 modò *Christum*, modò *Spiritum S.* appellant, & per hoc solum re-  
 generationem ac conversionem hominis fieri contendunt. Quan-  
 do verò negamus Verbum internum Enthusiasticum, tum nulla-  
 tenus destruimus spiritus S. interni operantis efficaciam & cordis il-  
 luminati devotam susceptionem, utpote sine quâ auditio externa,  
 sive quæ externis auribus fit, nihil prodest ad æternam salutem.

#### IV.

*Infantes baptizati habent fidem, surdi quoq; à nativi-*  
*tate quandoq; fidem habent, sed modò extra-*  
*ordinariò.*

**I**nfantes fide actuali & salvificâ destituti unanimiter & quasi manu-  
 factâ contra nos negant Papistæ, Calvinistæ & Anabaptistæ. Erroris  
 sui fundamentum se habere arbitrantur in nostro dicto Aposto-  
 lico, in quo dicitur, quod *Fides fit ex auditu*, scil. tali, qui conjun-  
 ctus sit cum intelligentiâ eorum, quæ dicuntur, qui in infantibus  
 non detur. Sed bella est consequentia: *Fides est ex auditu*, Ergo  
*ex solo auditu*. *Fides est ex auditu*, Ergo *non ex Baptismo*. Proce-  
 dit à particulari & propositio de adultis intelligenda est. Verbum DEI  
 in Propheticis & Apostolicis scriptis comprehensum, est proprium  
 & ordinarium medium ut excitandæ, ita quoque augendæ & con-  
 firmandæ.

(a) *Vid. Concil. Trident. Sess. IV, c. 1. Bellarm. libr. IV. de V. D.*

**A** Rdua cùm Fidei certamina suscipis, opto  
Ut Fidei Princeps addat Jēsu s opem!  
Hoc Duce, præinctus gladio penetrans te Sacra-  
Verbi, prosternes agmina torva Stygis.

JOHANNES MEISNERUS, D.

**V**era Fides Fructus Fideique quid ipse abundè  
Præside me fidò, Fautor amande, doces,  
Ausibus hisce Polò Numen benedicat, ut aptum  
Christiadam costus Organon esse queas.  
Sic tuâ fama perennis erit, sic Gentis amica  
Crescet bonos factis, laudibus atque tuis.

In honorem Clarissimi Dni Respondentis, amici  
sui Clarissimi L. M. Q. apposuit

PRÆSES.

**D** Elicias animæ verbum parit usque Jehovæ  
Fructibus innūmeris, quos facit ipse DEUS.  
Fertile nam semen nostris est cordibus ipsum  
Verbum, dum fructum multiplicare solet.  
Talia Tu doctis thesibus modo, DOCTE PALOVI,  
Reppetis ex Verbo, quod Schola nostra probat.  
Pergito scrutari fructus ex Flamine Verbi  
Sic Verbi fidus Tute Minister eris!

JOHANNES DEUTSCHMAN, D.

**H** Actenus implēsti Sophia cum laude, PALOVI,  
Partes, nuper & egregium Naturæ Cometa  
Exhibuit doctis specimen, sic Arcis ad Ædem  
Sæpe habiti sacri sermones non sine magno  
Applausu populi; duce & auspice Numine multos  
In sacro studio passis fecisse loquuntur.  
En iterum clarum documentum emittis in orbem,  
Exponens quæ sit Fidei salvantis Origò.  
Ausu perge pio, Sanctum molimina Numen  
Adjuvet, hinc capiet multos POMERANIA fructus!

Præclare docto Auctori. Respondenti, Fautori  
& Amico Honorando scrib.

M. Frieder. Christ. Bücher.

Maxi-

**M**aximus est verbi divini fructus, id ipsum  
In generare animis *speciemq; fidemq;* potest.

Est etenim verbum, quod protulit ipse Jehova,

Cui tantas vires indidit ipse Deus.

Hinc ter felices, quos tantum verba Jehovæ

Audivisse juvat mente animoque pio.

Rectè etiam *fructum* proponis, CIVIS AMANDE,

Divini verbi, terque beatus eris.

Biblia sacra placent tibi met, sacra verba Jehovæ

Mentem delectant exsaturantque tuam.

Alit labor hicce ferat *fructum*, mox præco Jehovæ,

Post fias, voceo, splendida stella poli.

*Ita Literatissimo, atq; omnibus ob modestiam  
ac probitatem dilecto Dn. Respondenti, Fau-  
tori ac Amico suo honoratissimo, hoc egregium  
eruditionis & pietatis gratulatur specimen*

M. Georgius Edwarthe/Greifsvyaldia-  
Pomeran. Amplissimæ Facult. Phil. Adjuncto.

**C**ura, volentem carmine me loqui

Tuos labores & studium Sacrum,

Vinctum tenent, nec plura fessa

Dicere nunc potis est Thalia,

Virtute functum prædicat Entheâ

Te Leucoris nunc Eusebie Tuos

Cernit sudores, quos perennet

Per Titulos memores Apollo!

*Conatibus sacris ac perarduis, Amici sui longè dilectissimi,  
πὸ ἐν κτ) καλὸν accl.*

M. Georgius Gasfitzius Hung.

Ser. ac Pot. Elect. Sax. Al.

**D**E Verbi fructu, Fidei quoq; Origine sacrum

Ostendis nobis, prædulcis Amice, laborem,

Hos pulchros studii Fructus hæc pignora gnavi,

Solertisq; animi, DEUS ipse secundet Olympò!

*Clariss. atq; Doctiss. Domino Resp. Fautori &  
Amico suo estimatissimo affectum suum  
his testari, & de specimen hoc Theolo-  
gicò e regio gratulari voluit*

M. ESAIAS PILARIK, Hung. Pot. El. Sax. Al.



2. D. B. V'

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

FRUCTU VERBI  
FIDE, ET A  
PER VERBUM

*Quam,*

JEHOVA clemente  
Secundum ductum & dictum

Rom. X. v. 17.

SUB PRÆSID  
VIRI

*Maximè Reverendè, Magnificè, Amplissimè*

DN. JOH. ANDR. QU

SS. Theol. D. ejusdemqve Prof. Pub  
simi, h. t. Decani spectatissimi & Alu  
lium Ephori gravissimi

Domini Præceptoris, Patroni ac  
mni pietatis atqve observantiæ c  
devenerandi

In inclyta ad Albim A

*Publicæ placidèq; Eruditorum Vent*  
RESPONDENS

JOACHIMUS PALOVIUS, Rū

*In Auditorio Majo*

Die III. Novembr. ANNO. M. 1

WITTENBERGA

Ex Officiâ CHRISTIANI SC

*Et*



Farbkarte #13

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White

Centimetres

Inches